

nos destruere conamur, tantum adstruxit: eujus argumen-
ta, quibus insurgere audet contra Peripatericos, integra
huc apponere non pigrabimur, cap. autem II. ita ratioci-
natur: *Figura prima Aristotelica ratiocinandi initium incipit
à medio termino, qui natura comparatus est, ut medius inter u-
tramque extremitatem intercedat, de se invicem secundum ca-
pacitatem & repugnantiam vel affirmandas vel negandas; que
vero ratiocinandi modum incipit à medio termino, qui naturã
comparatus est, ut medius inter utramq; extremitatem interce-
dat de se invicem secundum capacitatem vel repugnantiam affir-
mandas vel negandas, necessario offendit naturalem ratiocinan-
di modum, in quo à subjecto ratiocinii supposito inchoandum, &
per medium propagandum, usq; in terminum supremum: sed quod
offendit naturalem ratiocinandi modum, in quo à subjecto suppo-
sito inchoandum & per medium propagandum usq; in terminum
supremum, est necessario illegitimus & inversus ratiocinandi or-
do. Ergò, Figura prima Aristotelica est illegitimus & inversus
ratiocinandi ordo.* Hoc sibi velle videtur Author, quod
medius terminus semper inter extrema situs esse debeat,
unde quoque hanc appellationem nactus fuerit; at in pri-
ma figura medius terminus est in majore initium argumẽ-
tationis, & in minore ultimo loco est positus, extrema in
medio quasi interjacent, id circo hanc primam figuram il-
legitimam, spuriam & inversum ratiocinandi modum ef-
se autumat.

§. VI. In capite subsequenti 12 parili ratione secundã
figuram invertere audet, quando ita inquit: *Altera figura A-
ristotelica medium terminum in utraq; premissã predicat; sed que
medium terminum in utraq; premissã predicat, offendit natura-
le ratiocinandi modum, qui à subjecto progreditur per medium ad
maiolem extremitatem, ordine nunquam mutato, nisi inter mediũ
& majus extremum natura identitas sit. Ergò, altera figura A-
ristote-*

B

ristote-